



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 45. An Episcopi possint pro sua dicesi prohibere certos libros, vel aliquas propositiones censurare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

visitandi aut permittendi, permittat librum, censeri potest approbatus.

Q. 45. An Episcopi possint pro sua Diocesi prohibere certos libros, vel aliquas propositiones censurare. R. Negant aliqui cum vindice Gobathi, 1. Quia Inn. XI. in decreto, quo damnavit 65. propositiones, in fine prohibet censurari vel notari ullas propositiones adhuc controversas inter catholicos, & iudicium de eis S. Sedi reservat. 2. Quia censura Episcoporum non est infallibilis, & fieri poterit, ut unus pro suo critirio vel passione reprobet librum aut propositionem, quam alius approbabit, & sic nascetur divisio & scandalum aliquod in Ecclesia, ergo decuit hanc potestatem esse reservatam infallibili Romani Pontificis iudicio. 3. Quia nemo utiliter damnat propositionem, cuius iudicium merito potest ad crism vocari & pariformiter damnari. His non obstantibus probabilius est posse, 1. Quia Episcopi sunt à Christo constituti Pastores habentes regere suas Ecclesias, ad quod spectat posse ovibus noxia pascua declarare ac prohibere. 2. Quia in Reg. 10. Indicis Trid. expressè ita habetur: *Librum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis vel diocesis expedire iudicaverint.* Hanc autem potestatem non revocavit Inn. XI. cum nec de illa, nec de Episcopis, nec de libris mentionem faciat. Fatendum tamen est, quod censura illa Episcoporum nullam habeat certitudinem, nec reddat doctrinam libri improbabilem, nec liget, nisi illius subditos, & si ex nimia promptitudine Episcoporum aliquando nascatur inconueniens, per accidens hoc est.

Quod particulares Doctores attinet, hi se reddunt deridiculos, si nimis prompti sint in censurandis propositionibus aliorum: dicitque bene vindex Gobati, quo fere doctior quisque est, esse pariter esse solet in damnandis aliorum opinionibus, ut in Doctore Angelico, Seraphico, subtili, aliisque licet observari. Reprehendi non meruit, quod recte defendi potest inquis S. Aug. Epist. 15. ad Hieronymum.

CAPUT III.

De suspensione & degradatione.

DUBIUM I.

Quid sit suspensio, quotuplex, & unde dignoscendum qualis & quanta sit.

RESP. I. Suspensio est censura, quæ Clericis functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur. V. Bon. to. 1. d. 3. p. 1. Lay. l. 1. t. 5. p. 1. c. 1. Unde resol.

I. Solus Clericus potest suspendi.

II. Suspendere possunt, qui possunt ferre censuras.

III. Ex genere suo, & nisi parvitas materia excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspensionem prohibitum, unde & irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cum alii licite requirant: imò et si nominatum sit denunciatus & non toleratus, alii tamen non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui, à quo suspensus est: unde audire ejus Missam, non erit peccatum, (saltem mortale) si non inservias. Ita probabiliter Avila, Henriq. Suar. Sayr. apud Bon. p. 4. m. 4. etiam Laym. n. 7.